Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Mauritii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11903

Visual Library

non egreſſurum, caveret. Ille tantos civium auſus, quos non præviderat, expertus, ne domi quidem ſuæ tutum ſe fore credens, in templum † S. Viti confugit † ibi per octo ſeptimanas ſub aſyli tutelâ manſit, iis autem exactis, cum manſionem hanc pertæſus ad domum ſuam reverteret, fugam meditari ſpargitur: fama nocuit, igitur ut certius teneretur, † carceri mancipant.

In templum S. Viti fugit

Carceri mãcipatur.

XII

Sed interim primum communitatis deſiderium, examinandi rationes fruſtrabatur. Facilè collegit illa, quo fine Senatus cunctaretur, ea propter iterato † rem ad Civitatis Dominum, Moguntinum Electorem deferendam concluſum eſt. Sed denuò quintum collegium omnibus modis conſilium diſſuaſit: † cum Saxonibus communicandas neceſſitates, ad eos tanquam territorii † Dominos hanc curam pertinere, atque ad opem ſe toties obtuliſſe, ni velint, ut per eos ſibi benè ſit, curaturos, ut ſit malè. Negavit populus † territorii Dominos Landgravios. Urbem Moguntinæ Sedis eſſe, cujus providentiâ toties adverſitates ſuperaverit. Confeſtim populi concluſum Saxonibus nunciatur: † Hi graviter per literas idipſum exprobrant: relata ſibi temeraria communitatis conſilia, quod miſſis legatis Moguntinum diſſidii civilis judicem invitare, id eſt, fugatâ libertate peregrinum Principem introducere velit,

Iterũ communitas ad Moguntinũ deferendum negotiũ cẽſet.

Diſſuadet quintum Senatus Collegium.

Saxones territoriales Dominos vocat.

Contradicit communitas

Saxones communitatem objurgant.

pati

pati ſe hoc nec poſſe, nec velle, deſiſteret ab irrito conatu, vel temeritatis vindices expectaret. Monitus ex his populus de augmento periculi miſſionem accelerat. † Nominati ſex æquali numero ex Senatu, Selectis, & Communitate, ut totam Remp. Domino præſentarent, hi mandatis acceptis, quæ præſens neceſſitas dictabat, iter ingrediuntur. Mox aliqui † conſcientiâ malæ adminiſtrationis territi ex Urbe fugiunt. Potuiſſet hic ſeceſſus levigare malum, ſi cum Civitate ſcelus reliquiſſent: aſt foris inquieti continuò Duces inſtigant, nova malorum ſemina ſpargunt, prædas etiam non ſecus ac hoſtes in agris agunt: præterea commercia quædam ad finitima oppida, ubi reſederant, irreparabili cum Urbis damno transferunt. Elector † Saxoniæ Fridericus, Moguntinos Officiales Erfordiæ, miſſis aliquot Legatis interpellat: Spargi, diſcordiam inter Senatum & cives hinc proficiſci, quod ipſe Kapplendorffenſem præfecturam in præjudicium Civitatis à Kelnero emiſſet, petere ſe, ut in auctores hujus mendacis famæ animadverteretur. ArchiEpiſcopales miniſtri, ſibi de his nihil compertum eſſe, indagaturos tamen in rei veritatem reſpondent. Cæpta inquiſitio, ſed incaſſum, tales ſermones in Urbe manaſſe cunctis negantibus. Satisfactum ſibi hac purgatione Fridericus, ſeque receptâ ſorte pignore ceſſurum te-

Cōmunitas ſex Oratores Moguntiam mittit.

Malè cōſciī ſecedunt.

Saxonii ad Mogūtinos Officiales petitum.

Erfurtenſiũ Legatorum ad Electorē oratio.

teſtatus eſt. Deputati Erfurtenſes † honorificè Moguntiæ excipiuntur, admiſſi ad Electorem obæratæ Civitatis ſtatum exponunt: *expenſas ampliſſimis reditibus majores decem millibus annuè ſuperare: æris alieni ſummam ſexcentorum millium eſſe: inſtare moleſtos creditores, captivare cives, & interitum omnia minari. Culpâ Senatorum his miſeriis Civitatem immerſam, aliis ærarium expilantibus, pluribus in pompam & luxum effuſis. Nec tribunos Civium, qui commodis populi in Curia præſident, à labe immunes, dum, ſi non ipſi facultates publicas profuderint, ſaltem votis ſervilibus aliorum peculatibus famulati ſint.*

Cur rationes non exactè redditæ.

Scaturiginem † mali ex calculo rationum oriri, hunc ab uno Collegio alteri poſitum, nunquam majori ſeveritate, quam ipſum anno lapſo expectarit. Hinc profuſas expenſas, & liberiorem peculatum, quia impunis. Igitur rationes à triginta annis examinandas, ut quorum crimine ſpoliata ſit Civitas appareat, & ſcopulus in offenſionis futuræ cautionem detegatur. Id eſſe, quod controvertitur, Senatu rationes civibus negante, ſed paucos, non Senatum eſſe, qui negent: nuper enim diſcretos, qui deſiderium hoc populi vel averſarentur, aut vellent, ac non multos adeo malæ adminiſtrationis conſcientiâ retractos, reliquis pro communitate ſe declarantibus, illos autem aſtu & dolis juſta hujus poſtulata hactenus eludere, ac quod plus eſt potentiâ Saxonum minitari, jamq; illud effeciſſe, ut ſæpius Duces per literas ſe arbitros, & compoſitores litis obtulerint. Colligeret hinc negotii periculum Elector, quodq; non ſolum Erfordiæ, ſed cauſa ArchiEpiſcopatus agatur. Celeri remedio eludi pericula: conſuleret ergo, & juberet, quid ſibi, quid civibus

expe-

expediat, & ſuam urbem contrà paucos, qui dominatum invaſerunt, tueretur. Attonitus ad hæc † Uriel Elector, num de peculatoribus iis adhuc vivant, interrogat, qui tam incredibili ære alieno Civitatem oppreſſerint. Affirmantibus delegatis, ſe conſiliis, & ope adjuturum promittit, tutarentur fideliter Urbem, ne qui à potentiâ alienâ criminum impunitatem quærunt, eam opprimant: Rectè Cives Dominum invocaſſe, ideoque ſe ex Capituli conſenſu moliturum extrema, quibus ſuæ Moguntiæ filiam juvet, atque ut locorum diſtantiam corrigat, Conſiliarios in reditu Comites aſſignaturum, qui præſentes Erfurti ſubitis conſiliis pro varietate eventuum adſint. Hoc † reſponſo, datiſq; ad communitatem literis dimiſſi, cum Electoralibus Conſiliariis reditui ſe committunt. Data ergo Conſiliariis ampliſſima poteſtas, agendi cum Senatu & Civibus, quæ Civitatis, & Electoratûs utilitas, ſalus, & neceſſitas poſtularet. Addidit ArchiEpiſcopus literas ad Fridericum Electorem Saxoniæ, 'quibus ut Commiſſariis ſuis ope & conſilio, ſi requirerent, adeſſet, petiit. Nihil non moverunt profugi, ne turbatæ Reip. vindices Erfurtum appellerent. Gœdenius præcipuè, qui aſtutiam ſuam juris peritiâ armaverat, quâ ſibi famam apud poſteros comparavit, ac licet Clericus eſſet, Marianæ Eccleſiæ Scholaſticus, diſſidiis tamen civi-

Urielis Electoris Reſponſum.

Elector Erfurtenſium delegatis cõſiliarios in reditu adjungit.

civilibus ſe immiſcuerat. Hinc exilium, cujus damna ut Saxones compenſarent, eum Collegiatæ Eccleſiæ ad omnes Sanctos Wittenbergæ præpoſitum nominant, Ductore Thunio equite, Friderici Electoris Marechallo, viæ & aditus in Thuringiam, ne quà legati penetrarent, obſidebantur: timuerunt illi periculum, ideo nonnihil à via Regia deflectentes monaſterium Vallis Georgianæ petunt. Thunio † confeſtim adventus innotuit, ille collectis copiis Monaſterium mille quingentis armatis cingit: evocatos deinde Civitatis nuncios acriter objurgat: an citrà Dominorum Thuringiæ conſenſum Legatos externi Principis ducere per provinciam auderent? cur repudiatâ propensâ ſuorum Principum ope, Moguntinam invocarent? ſimul † vincula imperat, quibus obſtricti Vinariam ducuntur. Poſteà † Legatos Electorales accedit, iiſque importunius, cur ſine Landgraviorum veniâ provinciam ſint ingreſſi, exprobrat, ſimul ut ocyus vias ſuas repetant, mandat. Illi † jure gentium ſe uſos reponunt, quod innoxium tranſitum haud neget, quem quo jure prohibere Thunius velit, non ſe interrogare, ſcire enim quod nullo: ſed quo auctore faciat, id cupere, ut an cum prædone ſibi res fuerit, aut milite, ſuo Domino referant. Thunius ſanctiſſimi juris violationem imputare Landgraviis non auſus, Ordines pro-

Thunius ex inſidiis intercipit.

Captivantur.

Thunii ad Mogũtinos ſermo.

Reſponſum.

provinciæ, Comites, atque nobiles auctores prætendit: hos unà ſecum timere, ſi hoc in motu Urbem ingrederentur, ea molituros, quæ Principum ſuorum juribus, & protectioni derogarent. Moguntini longiſſima hæc à propoſito ſuo fruſtrà demonſtrant, tandemque eo adacti, † ut turpi timore Legationis ſanctitatem corrumperent, ac ſe mandatis Thunii ſubjicientes vel Moguntiam, vel Würceburgum regreſſuros jure jurando promitterent. Simul literas ad Fridericum Electorem, & alias ad communitatem ab Uriele deſtinatas Thunius retinet, cumque de injuria conqueri per literas vellent, prohibuit. Thunianæ violentiæ nuncius admodum Erfurtenſes irritavit: Spoliatores fiſci Legationem hanc Saxonibus prodidiſſe, ali intrà mœnia hoſtem, qui cum externis in Reip. interitum, in civium vincula conſpiret. Murmura in minas abierunt; ex hinc alius poſt alium ſe ſubduxit. Communitas † pro captivis anxia Moguntinum interpellat, apud Electorem Saxoniæ pro liberatione detentorum ageret. Iterum hoc Thunius reſciit; nec enim diſcordia civilis arcanum habet, factionibus ſimulatorum ſociorum fraudibus obnoxiis. Aucta Thunii inſolentia, minis & incuſationibus captivos terret, his autem immeritæ captivitatis remiſſionem petentibus unâ ſemper voce reſponſum eſt, Kelneri, & Gœdenii

Moguntini reverti Moguntiam coguntur.

Erfurtenſes pro liberatione ſuorũ Moguntinũ interpellant

Do-

Doctoris, aliorumque nonnullorum, qui peculatûs, aut proditionis rei erant, cauſam probarent, nullam niſi Saxonicam opem expeterent. Moguntinus † per literas ad Electorem Saxoniæ de injuria, de gentium, & Romani Imperi Juribus læſis graviter queritur. Deputatorum Erfurtenſium liberationem urget, aſt ille, comiter licet, nihil ad deſideria reſpondet.

Moguntini ſuper violato gentiũ jure querela.

XIII.

Alii Legati Erfordiam mittuntur.

Interim † alios Legatos Moguntinus Civitati ſubmittit. Hi poſtridiè omnium ſanctorum feliciter appellunt, niſi quod cum de nocte ad portam veniſſent, ac omnia ſuſpicionibus horrerent, ad diluculum palare ante Urbem debuerint. Cum his per literas Erfurtenſes ad fidem ſervandam, & valla diligenter cuſtodienda hortatur, ſimul de auxiliis certos eſſe jubet. Legati poſtero die Curiam aſcendunt, atque mandata exponunt, auditi pronis auribus à pleriſque, ſed multis ingrati, qui libertatis pericula delictis ſuis obtexere non deſierunt. Aucta † Saxonum indignatio, quod Civitas Moguntinos admiſerat. Ipſi etiam Electores ſibi querelas movent, quibus ſopiendis Laurentius † Herbipolenſis Epiſcopus, Franconiæ Dux fidelem curam adhibuit, ac effecit, ut Mülhuſii † conventus indiceretur. Ibi Moguntinenſes Legati fontem mali corrigendum eſſe † graviter demonſtrant, præmittendam cauſæ cognitionem, vocan-

Aucta exhinc Saxonũ indignatio.

Laurentius Herbip. Epiſcopus ſe interponit.

Mülhuſii cõventus indicitur.

Mogũtinorum propoſitio.